...ilius

...Matth. Euprattica gratu-
latio

M. MATTH: BVCZKOVII

EVPRATTICA GRATVLATIO,

Nomine totius communitatis Contubernij IERVSALEM:

Mg^{co} ac Reuerendo admodum Domino, Rectori DOMINO BASILIO GOLINIO, S. Th: Doctori, Acad: Crac: Professori eximio: Theologorum Collegij Seniori Patri, Cathedralis Ecclesiæ Crac: Canonico digniss. Prouisori suo honoratiss. recens surrogato, viro de literis Academicis optimè merito, ipso sui ingressûs die xvij. Octobris officij ergo

deprompta.

CIC: IN CAT.

Maximæ Respub. per adolescentulos labefactatæ, â senibus sustentatæ & restitutæ fuêre.

PYTHAG.

Iuuenes, qui salui esse volunt, Maiorum suorum Seniorumq; consilijs & authoritati innitantur.

CRACOVIÆ,
Chalcographo Basilio Skalski, Anno Domini, 1617.

DEDICATORIVM.



BASILIVS GOLINIVS.

Anagrammatismus

SIS VIGIL, LAVS BONI.

Est sua laus profugo, Troianis primus ab oris,
Aeneae: Latias qui superauit aquas.
Quòd Patrem rapidoq; Anchisen extulit igne:
Quòd Turnum bello vicerit horrificum.
Symbola candoris, fessos aetate parentes
In campo pascens, grata ciconia, habet.
Golinius, praestans, Academiae amore, Basileus,
Gratum se praebens, pondera Matris agit.
Alter vt Amphytrioniades Atlanta iuuando,
Pondere neué suo proruat, ipse cauet.
In te summa rei consistit Docte GOLINI,
O Pater, ô nostrae cura laborq; lyrae:
Viue tot aetates quot Vistula verrit arenas,
BVCZKOVIVM *qui sic te ornat, amore foue.*
Ardua dessuetis componens bella lacertis,
SIS VIGIL, *acrè:* BONI LAVS*q; decusq;, vige.*

EV PRA.

M. M. B. C. I. S.

EVPRATTICA GRATVLATIO,

R.NDO D. BASILIO GOLIN,

S. TH. D. CANONICO CRAC: PROVISORI Cont: Ierusalem. V. Rectori

PLATO

Virtutis & literarum possessio immortalis.

Od: Mon: Monostr: Phaleuc.

DOCTORVM, GOLINI, decus virorum,
Musę quos Academicę tuentur;
Gratamur, tibi debitos honores
Iam pridem: sed & auitos labores
Vt perferre queas, lyrâ sonamus.
Lux es, corq; hominum elegantiorum,
Phœbi delicię, lepor Dearum,
Quas splendens Helicon fouet sub vmbrâ.
Augusto in numero Canonicorum
Ceu sydus rutilas, iubarq; solis.
Prudenti ratione, sic, SOLONI
Virtute æquipararis ast Lycurgo.
¶ Spargunt en violas, rosasq; passim
Misti cum pueris viri, & Magistri,
Doctoresque, Sophiq; grandiores.
Testantur, tibi, mentis vnionem,
Contendunt pariterque, vt omnis auctum
Te isto, suscipiat Patrem decore.

 Et

Et grato veneretur instituto.
Vires sunt iuuenum, senum voluntas,
Recti consilium, Boni facultas.
Concernit VENERATIO Minores
Maiores REPVTATIO sed angat.
¶ Rebus, cernite, ritè prouidentes:
Non saltem lituis venit corona,
Est præstans honor & viris togatis.
Cedant arma togę, decens togatis
Est rebus precium, rogoq́; fama
Vllo non aboletur: ampliore
Doctus perfruitur salute; fuluo
Miles prædę inhians quàm onustus auro.
Inclarescere Marte parua res est,
Est permagna sed Arte decorari.
Cœlo terra ita comparatur alto.
¶ Doctorum GOLINI decus virorum,
Quid te candidius capit Lycæum
Antiquum Sophię, & Deo dicatum?
Nam vitę rudimenta si prioris
Enarrare velim tuę, & calorem:
Intentum studijs rear te acerbis,
Cauto multa tulisse pectore, inde
Fructus dulcisonosq́; prodijsse.
Fœlix ingenio vsque per supremas
Arces Palladis ire censuisti:

Hinc

Versu concelebrate eúm diserto.
Concernit veneratio Minores:
Maiores reputatio sed angat.
Par est, quem Ausonij colunt, vel illi
Cuius obstupuêre linguam Athenę.
¶ Doctorum GOLINI decus virorum,
Cùm linguę reseras suauitatem,
Scis irata domare corda prudens:
Nam stillat tibi dulcis ore sermo,
Qui placare ferum queat Tonantem,
Et linguâ & calamo potens præire
Cunctis, quos Academia alma honorat,
Vt iuri sit honos & æquitati;
Lites, iurgia, sint sepulta: iunctos
Non discorsq; animos premat tumultus,
Ætas prisca velut patenti in orbe
Cuncta, & terra inarata, proferebat:
Non aurum in precio fuit, sed alta
Tunc virtus, & amata litterarum
Cura, queîs decora alta comparantur.
Ergo cùm tua clara celso honore
Doctrina, & pietas potita tandem,
Vt præsis Patribus, Canonicorum
Iunctus, gemma velut nitens, coronę!
Dignus BATKOVIO Patri, sacerdos
Succedis SENIOR, lupos, ouili
Harpyiasq; furore pestilentes Arcere

Arcere vt valeas Scholę vetustę,
Mox prodesse velisq; destitutę
Patronis. Miserum in modumq; lapsa
Prouisore nouo vt, Domus, respiret
ZBIGNEI Studiosa CARDINALIS,
Fame ne cruciata mox dehiscat,
Lœtos ast pariter dies frequentet;
Hanc defende, tuere, prosper orna,
Re, non nomine prouidere perge:
Scis Iunonius ARGVS ille custos
Centum lumina perdidit, sopore.
Sis ceu murus aheneus, precamur:
Nos votis onerabimus Tonantem,
Nobis te incolũmem diu vt reseruet,
Quo materque, Academia, excitata,
Fausto numine protrahat senectam,
Cuius portio nos sumus pusilla,
Actu presbyteri, atque laureati,
Doctrinâ celebres, viri, ac Magistri,
Et cohors studiosa, nobilisq;:
Regni spes, columen Rei, aura Templi.
¶ At vos fatidico ore nunc Poëtę,
Sertis tempora cingite entheata:
Plaudentes manibus, sonate metra
Concernit VENERATIO Minores:
Maiores REPVTATIO sed angat.

Formosę

Formosę date thura vos Napæę,
Narcyssum, violas, rosasq; ferte.
Vos Panchaia Cynnama explicate
Musę Vistulides; virente Myrto
Cinctę Naiades, huc pedes mouete
Iunctę cùm Satyris, dies sacrata
Poscit gaudia, fęsta lux vigorem
Mentis ritè requirit, & decorem.
¶ Doctorum GOLINI decus virorum,
Antiquę probitatis institutor,
Fœlices ter & amplius verendos
Patres esse reor, tuam videre
Quêis frontem, atque oculos, tuaq; dulci
Perfrui licet allocutione,
Hac hac sęcula te futura noscent,
Viues post cineres, tuumq; nomen
Æternis celebrabitur Camœnis.
Qui te non amet vnicè colatque
Et non gestet in intimis medullis,
Nimirum mihi prorsus is videtur
Duris cautibus esse procreatus.
Suauis, blandus, amabilis, benignus,
Naturę es bonitate cuîque carus,
Hinc affabilitate singulari
Clarum pectus amant tui Clientes,
Mores præterea elegantiores

Nos ad te alliciunt, tuiq; honore
Incendunt. Tua candida ista virtus,
Antiquę probitatis atque norma,
Ex quo cognita mî fuit, repente
Sic complexa animum, perenne vt optem
Ipsum me tibi dedicare in æuum!
Concernit VENERATIO Minores:
Maiores REPVTATIO sed angat.
Est paruin' meriti ista gratitudo?
¶ Doctorum GOLINI decus virorum
Lux & cor hominum elegantiorum,
Protector pietatis, & Patrone:
Lœtâ fronte precamina hæc capesse,
Et patrocinio tuos foueto.
Vel sic prospicias graui senectę:
Versus dêinde canemus eruditos,
Spargemus pedibus tuisq; flores,
Declares modò liberalitatem:
Hæc hęc stelligero inseret te Olympo.

Arist: lib. 4. Ethic.

LAVS, ET GRATIARVMACTIO DEBETVR DANTI, ET NON ACCIPIENTI. OPORTET ERGO REGRATIARI EI, QVI FACIT GRATIAM.

Finis.